

Alte Drucke

**MATERIA MERE || Magistralis || MVLTI SCIORVM ||
STVDIOSORM [!] MAGI-||STRORVMQVE MVLTIIVAS
MISE-||rias ... me-||morans & magni-||ficans. ||
PRAESIDENTE ...**

Ogravittus, ...

[S.l.], 1599

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148715

42.
MATERIA MERE
Magistralis

MVLTISCIORVM STVDIOSORM MAGI- STRORVMQVE MVLTIVAS MISE-

rias, maleque moratos Magistrorum Musis merentium momos.
mutilatores, multa mala Magistris mentientes, magistra-
men mutos in Musis quam mugiles. merulas &
mullos; Magistraliter meritoque me-
morans & magni-
ficans.

PRAESIDENTE
ALTIDOCTO ET MELLITO DN. M.
OGRAVITTO, REGIO MAGISTRALIS OPERIS.
RECOGNITORI OPEROSISSIMO.

APARITER DOCTO ET MEMORABILI

*Respondente Dn. DACRIONE CHIPLICO, iamiam propter doctissimos libros,
& quam habent ii scientiam, in dignissimum Magi-
strum promovendo.*

In Inclyto Brabantiae Collegio de Hespport magistraliter
disputata & defensa.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.



Impressum Anno M. D. XCIX.



ΕΤΝ ΔΕΩ

PROPOSITIO PRIMA.



Vando nostro seculo omnia vel planissima quæq; sub pro-
iectam & effrænatam iudicii, rationis, calumniæq; trutinâ,
idq; quandoq; indignissimè, revocantur: non mirum est si
quod studiis sæpe contingit, studiosi etiam experiantur. Et
ne quis à nomine studiosi se suosque abstrahat, brevi disce-
ptatiuncula **STVDIOSORVM** naturam, circumstan-
tiasque concludemus.

I I.

Studiosi vocabulum *πολλὰ ἁλῶς λέγεται*, id est, vox est homonyma, eno-
danda igitur.

I I I.

Studiosus primum laxa significatione nonnunquam capitur: Studio-
sus enim alius est nuptiarum, alius crapulæ, alius symposiorum, alius militiæ,
&c. Et Veneris qui castra sequuntur, &c.

I V.

Sed hic *κατ' ἐξοχὴν*, per synecdochen speciei pro genere, secundum Ra-
mum, philosophorum quotquot vixerunt, emunctissimum, sumimus pro **LI-
BERALIVM ARTIVM AMATORE**. Poëtæ vocant qui ex fonte
Pegaseo labra irrigavit.

V.

Sedata hac turba descendendum ex lege methodi, quam me Ramus a-
tinam vero omnes, lib. 2. suæ logicæ, cap. 18. edocuit.

V I.

Epictetus definit: Scholasticus, inquit, est miserrimum animal.

V I I.

Huic concinit pater lyricorum Horatius, inquiens:

Qui cupit optatam cursu contingere metam,

Multa tulit secitq; puer, sudavit & astitit,

Abstulit Venere & Baccho, &c.

Verum has improbo definitiones. Sic Ramus logici magisterii ma-
gister auspiciatissimus. log. suæ lib. 1. cap. 25. Definitio cum definito ultro
A 2 citroque

2
citroque commēet, contendit, & Philippus: Definitio non debet esse angustior deāito. Aliq; logici ex fundamentis demonstrant; secus si fiat, committi definitionis elenchum, id quod Philosopho summa est religio.

I X.

Iam verò datæ definitiones in adductam amussim videntur impugnare.

X.

At qui sic? ais. Annon ex studiis ingens oritur tædium, annon plures studiorum quam aliorum opificiorum desertores videmus? Annon plurimos impendunt sumptus maximis & suis & parentum curis?

X I.

Insulsa hæc est illatio: Esto res difficilis, sumptuosa; quid tum postea? an ideo congruit extremæ miseræ?

X I I.

Multi qui aut studiis adhærescunt, aut ex studiis victitant, non sunt miseri: Anne, dic quæso, crebro vesci gallinis, anseribus, aviculis, est res miserrima? Bibere & quidem pronè vinum generosum, binum & hornum, numero multa frequentare symposia, uti poculis spumantibus undantibusque, *das ist, daß einem die vvelen in den grossen Gefassen an die Nasen schlagen.* Hæc si est res misera, calamitosissimum me inalem. Sed forsitan & alii itidem boni lurcones.

X I I I.

Quid? quod illæ definitiones de tyronibus, id est, incipientibus studiosis loquuntur, non verò de absolutis, id est, qui gradum aliquem ex studiis reportarunt, aut qui variis incidentibus præclusi non potuerunt.

X I V.

Quid igitur? Studiosus est sapientiæ amator, vel: Est rerum humanarum divinarumque & quibus hæ continentur, causarum inuestigatio.

X V.

Vnde rursus contra superiores concludo Suum cuique studium arridet: quod arridet, placet: quod placet, gratum est: quod gratum est, facit hilarem. Nullus autem hilaris est. extremè miser. Studiosi igitur non sunt miserrimi.

X V I.

His definitionibus ut per se manifestis non longius immoramur. Si qui tamen sint minus exercitati, ut tyrones, ignari, magistellivè, qui (ut nonnulli temerè cavillantur) pecunia potius quam arte gradum sibi parant,

3
runt, à nasutulis suis iudicibus, modo & hi sciant, discent.

X V I I.

Sequitur nunc distributio. Sed hic dichotomiam nescimus, quadripartitam accipimus. Accusentur autem potius Medici, quorum hic ductum famus secuti :

X V I I I.

Hippocrates, Galenus, Aristoteles, Fuchsius, Fernelius, Albertus Magnus, Levinus Lemnius, aliique, quatuor faciunt temperamenta. 1. Sanguineum. 2. Cholicum. 3. Phlegmaticum. 4. Melancholicum.

X I X.

Sunt hæc temperamenta hominum. Studiosi sunt homines. Ergo etiam studiosorum. Et secundum illos humores mirum studiosorum genus audies. Deinde etiam secundum Proverbium: *Es sind zahme Endte: Es sind wilde Endten: Es sind Lockendten, Aber Studenten das sind feltzame Endten, denn sie haben, &c.*

X X.

Primum quibus dominatur humor sanguineus, ii sunt rubicundi, crassiores, ridiculi & ridibundi, venerei, delitiisque dediti: Ethii raro propter hæc impedimenta veniunt ad solidam eruditionem. Dum enim domi eis desidendum & studendum erat, ipsi interea rationes ineunt, quomodo ludi delitiæque hesternis diebus inchoatæ necdum finitæ, de novo redintegrentur, vel ubivis quid ludicri symplosive, cui genialiter indulgerent, chorearumve, exoriatur, explorant.

X X I.

Cholerici habent humorem calidum & acrem. Ideo etiam sunt ingenii capacioris plerumque, nisi alius etiam humor adsit. Brevis sunt staturæ, pallidi, callidi, & ad iram propensiores, præsertim ubi vino incaluerunt, convivorum ineptias non possunt ferre.

X X I I.

Phlegmatici habent humorem pigrum & frigidum. Mucosa hic sunt fere omnia. Itaque quando spes est, illos invigilatuos literis, invigilant chartis pictis.

X X I I I.

Melancholici etiam habent bilem sed atram, terræque respondentem.

A 3

Ideo.

Ideo huiusmodi sunt morosi, sedentarii eruditi. Hi neque sobrii neque ebrii ineptientes ferunt.

XXIV.

Ex his patet, Phlegmaticos non esse frugi studiosos, Cholericos & Melancholicos optimos, nisi tamen Cholerici ab igneis quos habent spiritibus, sapissime suum institutum mutare, de nocte & de die exire tumultuarique cogantur.

XXV.

Pro mixtura tamen & crassi temperamentorum plurimum inter se variant. Ita ut sæpe dubites, ad quod nam sint referendi, cum ex singulis plus minusve sæpe participant.

XXVI.

Quales sunt histriones, qui summum & mundissimum gradum inter studiosos obtinent, ut exempli gratia, si quis tanquam testudinem ferat, anserem interea Chelyotheca inclusum portat. Vel si arietem, quem furtim (si furtim dicendum) rapuerunt in agro, neque qua commodè via in urbem induci queat, norunt ne prodantur, delitescunt interea foris usque ad vesperam, ubi demum sole occidente, nocteque ingruente, oblongo arietem pallio induunt, pileoque capiti superimposito erectum, pedibus anterioribus sublatis, ut ercetus & bipes incedat, ab utroque latere duo, pedes anteriores quasi ebrii cuiusdam brachia pallio involutos tenent, atque ita quasi ebrium per medias excubias, per mediam urbem solenniter trahunt Et si bonus vervex insoliti huius incessus infuetus quandoque tumultuosè exilit, ipsi ne quid fraudis subesse sentiatur, bonis & amicis verbis ipsum tanquam ebrium ad modestiam hortantur, commonefacientes quanto in periculo versentur. Ah quæso Domine, aiunt, ne ita tumultueris, sequere modo, nos deducemus te cubitum, &c. O quanta dominatio, sed quæ brevi deinde morte est redimenda, vel quando oblectationis gratia, in proximum pagum expatiantur (vel etiam urbem) ibique ex suo ipsorum numero unum eligunt quem Comitem vel Principem vocant, quem cæteri omnes sequuntur, designatis unicuique suis muniis, ita ut alter sit Cancellarius, alius Magister aulae, alius Concionator aulicus, alius Secretarius, alius Calefactor & omnia tria, & ita deinceps, ubi etiam omnes composita ad gravitatem facie Comitem suum obsequiosè observant, miro gaudio perfunduntur, *Venn sie die Bauren Gnad Herr heissen*, unde tamen id fiat ab ipsis aperto capite & demissè, secus verò *vann sie die Mistgabelnum oder Flegelnum zu der Hand nemen*, vnd dem newven Groben den *VVein*

*V*ein verehren, daß ihm das Feuer auß den augen springt. Tum enim si viribus rusticis sunt impares (denn vvenn einer einen Bauren schlegt, ist es eben als vvenn einer ein Schyvein in einem VVald schlegt, vvenn dasselb greinet, so lauffen die andern alle herzu) Statur est honestè fugere, quàm furori rusticorum incassum resistere. Vbi verò pares cum paribus congregiuntur, de victoria sua etiam ante certamen sunt certi, præsertim ii qui antea similibus cōflictibus interfuerunt. Differunt tamen secundum gradus comparationum, Positivi, Comparativi & superlativi.

XXVII.

Sunt qui omnes suos conatus & studia eò intendunt, ut terrarum orbem peragrent, in eamque rem mille aut amplius aureos impendunt, ut quanti qualesve sint, noscantur, quibus tamen satius esset, si duo millia expendèrent, eoque dent operam, ut non cognoscerentur.

XXVIII.

Sunt qui ad exhauriendam aquam Heliconii admodum sitibundi proficiscuntur, ubi tantum aquæ illius ingurgitant, ut postea omnes ferme literas capitis dolore evoment.

XXIX.

Vidi aliquando eiusmodi Appollinem super Asello impositum. Et cum neque sedere præ sompore, neque se erigere ob membrorum stuporem valeret; reclinato tanquam morbo debiles solent super hærentis cuiusdam humerum, languido capite, brachiis membrisque demissis, clausis oculis, ore aperto, vini fetore exhalante. Vbi tamen multi hominem gravi morbo correptum putarunt, donec vomitione ægritudo illa patefacta est.

XXX.

Alius quidam cum aliquando per totam noctem genio indulgisset, summo diluculo è tabernase vinaria proripuit, ut in suo ipsius hospitio crapulam per somnum excuteret, nam in taberna non dabatur tantumdem spaci. Sed nescio quonam per humos & vapidos, cerebrum ipsius conturbantes distractus, in angulum quendam mellis bis cocti. devenit & quamvis factor ipsum ab hoc aditu reuocare debuerat, viam tamen quam inierat palpitare non abstinit. Accidit autem ut quidam è demo illa surgens alvearia (seu alvum) excrearet, bonaque portio illius in pectus delaberetur, quod ubi sensit, continuo suspiciens dixit: *Hem quid agis vates?* Vix autem hæc effatus fuerat, ecce pyrum vatidicum totam ipsius faciem obtexit. Alter qui in superiore parte ædium erat, huius rei ignarus, cum tamen mirabundum hoc videret, cachinnans respondit: *Tu mihi lambe nates.* Quis tamen fuerit,

fuerit, adhuc sub iudicelis est. Porro, cum hoc syrupo degustato sponte crapulam excuteret, ac repente ad conclave suum pergeret, sciscitantibus ex ipso contubernalibus, unde tam serò vel manè ac tam bene inunctus à vertice usque ad plantam? Respondit: Hem.

*Difficiles lectu mihi Mars facit improbus herbas.
Is cui hydra hac, comedat qui spernit fercula sana.
Apponatque suum, si non vult credere, nasum.
Lectu difficile est quia stat iuxta atria custus, &c.*

Mirabantur ipsius contubernales tam expeditam & alioqui inusitatam in fundendis versibus peritiam, quicquid enim voluit dicere, versus erat. Et dubitabant, num forsitan esset mel Socraticum, præsertim quia ex superiori loco deciderat, sed tamen ipsi nolebant degustare, quia nimium stercorisabat, & ipse vates novus nil nisi stercoralia lectu difficilia eructabat.

XXXI.

Fuit etiam aliquando novitius Professor, qui aquæ istius antehac plurimum gustaverat, in tantumque affectus, ut nec in ipso munere in quo erat constitutus, sibi ab eius nimiositate temperaret; cum vero horæ matutinæ ad profitendum ipsi essent destinatæ, persæpe, ubi à suis tanquam à lethargo detentus, magis vocibus excitatus fuit, repente è lecto prosiliens, seminudus, semivivus, oscitans, stupidus, demens, caput phreneticum, somno grave, vino repletum, oculis vix apertis, vino subinde ex hesternæ crapulæ eructante paulisper enixis cubitis sese elevavit, lingua balbutienti, nescio quid latinis græcisque verbis ebulliens, tum ad cachinnum discipulos movit, ipse quoque ore oborto, ridenti similis caput demisit, ut reliquum viri obdormisceret.

XXXII.

Sunt qui quicquid habent, adeo prodigaliter insumunt, ut si centum aureos habeant, omnes uno die profunderent.

XXXIII.

Ethi, ubi nihil insumendum restat, æreque alieno passim sunt obstricti, ad extremum, nates pro pecunia creditoribus ostentant, clam iter quoquo fortuna fert, ineunt, confecti fame, macie debilitati, barba ex squalore promissa tanquam alter Diogenes, nihil præter ventrem nudum & esurientem & pediculos multos loco ministrorum comites itineris secum portant. Calcei antè, retrò, dextrorsum, sinistrorsum ita sunt perforati,

7
ratī, ut vix novem feles unicum murem, quin effugiat, tenere possint. Capilli per pileum multis foraminibus perforatum enascuntur, ulnæ & genua quasi oculi prospectant. Ensis à rubigine adeo corrosus est, ut à vagina, eaq; lacera, quæque vix dimidium tegit, vix dignoscatur, quem ubi è vagina eximere volunt, utroque pede manubio insistant, utraque manu quantis possunt viribus, oreque tortuoso vix extrahunt. Hic audias stridores tantos ut dentes sua stridofitate graviter lædant. Inde omnia oppida, omnes urbes percurrunt, nummos postulantes propter communia studia, manibus perambulantium togas apprehendunt, nunc calceos, nunc aliud quippiam petentes. Interrogati, submisit & humiliter, capite in dextram demisso, dextrumq; pedem continuè ad se trahentes, & quicquid ad flectendum facere opinantur, respondent: Imo infimæ cuiuslibet sortis hominibus Dominicales honores exhibent, exempli gratia: *Herr Bettelvoigt, ach ich bitt ihr vyollt nicht mit mir so streng verfahren.* Mox Bettelvoigt, raro isto & inusitato honore plurimum gaudens, utraque manu utriusque lateri innixa magnificenter respondet: *Das ist doch recht, das man die Oberkeit inn ehren halte.*

XXXIV.

Sunt præterea qui solitariam vitam affectant, quique à cæterorum confortio sese subtrahunt.

XXXV.

Iique sunt aut humiles, aut inflati:

XXXVI.

Humiles siue simplices quorumvis vexationibus sunt expositi, quibus etiam nihil non persuaseris. Et quæcunque ipsi in medium proferunt, seria ipsis & magni momenti videntur, cæteris verò perquam ridicula. Exempli gratia: Voluit aliquando quidam sententiam quandam confingere, ita ut literæ initiales, sui nominis literas initiales referrent, & post multas lucubrationes ad nomen suum I. C. A. Invenit hanc: *Iesus Christus Amen.* Veruntamen non ita frequenti numero inveniuntur.

XXXVII.

Inflati sunt, qui peculiare gestus philosophicos scilicet, uti ipsis videntur, studiosè affectant Quos sanè incedentes aspicere, res visu satis est digna. Incedunt nempe plerumque sordidis & laceris vestibus flaccidè induti, dextra pallii ala ad dextrum calceum usque propendit. Sinistra vero vix sinistrum femur tegit. Protracta cervice, turbido vultu, aspectu torvo, oculis stupidis, ita ut sæpius pedem offendant grandiori passu.

B

Ex his

XXXVIII.

Ex his obiter elicitur, superbiam versari tam circa ornatum quam circa deornatum corporis, ac proinde tam circa splendidas quam circa sordidas & laceras vestes.

XXXIX.

Et quamvis eiusmodi Stoici Diogenici jure humanitatis miseratione potius quam irrisione digni censeantur: Tamen nescio quo pacto ad risum potius quam ad misericordiam nos moveant.

XL.

Præterquam enim quod ita fastidiosè passim se ostendent, in tali habitu mirificè sibi placent, atque in primis virginum inire gratiam hoc modo satagunt, ac sibi etiam persuadent, in quibus tamen egregiè sæpe fascinantur. Exemplum tamen si sunt odiosa, unum tamen annectam.

XLI.

Quidam cum aliquantisper à virgine nobili blandis verbis inescaretur, ipseque hac conversatione confusus, virgini molestior esset quàm illius pudor postulabat. Illa conversationis illius pertæsa, dissimulans tamen, noctu aliquando venire poposcit. Vir militaris lætus hoc responso, ad horam præfinitam præsto ad virginis ædes fuit: Vbi etiam honorificè ab adolescentulæ servis exceptus fuit. Nam dorso unius impositum, elevatis à posteriori parte vestibus, gravioribus loribus quæ staphilia appellant ita nates affixerunt, ut mense integro sedere nequiverit; quo tamen tempore, ad tantam turpitudinem occultandam, domi dentium dolorem simulavit.

XLII.

Et quis possit omnes omnium mores describere? cum in singulis ferè Academiis peculiare sint studentium mores.

XLIII.

Sed oportet nos *fortfabren*, quia non habemus multum *der æyts*.

XLIV.

Studio si igitur alii sunt impromoti, alii vero promoti.

XLV.

Inpromotorum variæ sunt causæ, quidam enim possunt promoveri: sed nolunt: hos laudo. Quidam volunt, sed non possunt: vel propter æris inopiam, & hi laudandi; vel propter eruditionis tenuitatem, & hi ridendi, & præsertim quando ii qui gradum aliquem, cuius antea præ ignorantia miri fuerunt irrisores, appetunt, korbissant, sit enim non parum, *daß einen der Esel heßlich schlegt*. Aut in patria sua habent functionem, quæ si vacat, ne præ-

ne præripiatur, asini patriam occupant, ubi tamen à vulgo mox magistri vocantur. Exemplo sit Calomusar quidam, qui cum ad gradum Baccalaureatus aspiraret, veruntamen uti indignus rejiceretur, parum moratus hanc repulsam respondit: *Ich vvil vvider auff mein function Ziehen, da vverde ich doch von den Bauren allzeit Magister genennet*. Aut habent amasiam cuius aspectu quia semper frui volunt, ad gradum appetendum omnino redduntur inhabiles, & indigni. Nihilominus quando in conviviis sedent, aut cum aliis, imperitis potissimum, conversantur, magnificè de se gloriantur, nihil ibi nisi insolens verborum fastus, loquendi vana ambulositas & inanis tuiortansus, ut si tantum corpore intumescerent quantum animo instantur, monstra deterrima viderentur, & in ultimas terras deportanda. Interim alios strenuè exagitant & annihilant, cum tamen ipsi sint grandes supergrandes asini, quorum nates culinatius forsitan aliquis libello Donati obiter petivit.

XLVI.

Veruntamen hoc antiquum est artificium, quo furibundissimi latratores delectantur. ut carpant eos malignis verbis quos se viderint virtute & fama superiores, quorum tamen in summam vergunt laudem indoctorum obtrectiones; cum turpem eorum dicacitatem, scurriles jocationes, obscenas detrectationes, mordaces conviciationes, linguæ procacitatem, sermones in peiorem partem semper proclives, turpemque vitam faciliè perspiciat; & verò hæc non errore opinionis aut stultorum inscitia merienda. Sed ratione & sapientia judicanda sint.

XLVII.

Porro si quando cum uiris eruditis versari ipsos contingit, ô quam humiliter, quam submisso, quam molliter tum loquuntur. Neque citius profiliunt, nisi poti, (quando nimirum humi & vapidum ascendunt in ipsorum crebrum) scientes, fœcundos calices reddere homines disertiores, ubi etiam innocens Priscianus continuis plagis adeo debilitatur, ut postero die prodire in publicum neutiquam audeat.

XLVIII.

Recitabantur aliquando literæ de homine non satis Reipublicæ accepto. Cum vero nomen illius sæpius in literis referri necesse esset, accidit ut nomini illi adderetur. Præfatum (ut dicam, Paulum) Tunc unus ex astantibus nasutulus, opinioneque eruditionis crepiturus, existimans verbum illud honorificum esse, & magnam aliquam laudem in præfati nomine contineri, ac si sapientissimum aut prudentissimum scripsisset, statim vociferare, cœpit, ré indignam esse, ut homo improbus, hostis patriæ, Præfatus appelletur.

B 2

Eiusdem

Eiusdem tenoris est & hoc: Cum primam ederetur libellus Philippi Melanthonis de Anima, ac quidam nasutulus præteriret tabernam librariam, legeretque titulum dicti libelli, qui sic erat, Libellus de Anima, Philippi Melanthonis; statim quæsit ex circumstantibus, num Philippus esset mortuus, putavit enim librum hunc tractare de anima ipsius Philippi Melanthonis. Sed dignum quæsito accepit responsum, omniumque sibilis explosus fuit.

L.

Sed lubet hic cribratas quasdam & viscerosas eorum loquendi formulas in medium adducere. Videor autem mihi jam videre in convivio sedentem eiusmodi turgidum & obesum, qui propinanti, copioso è pulmone in guttur exurgente spiritu, plenisque faucibus gravitaliter cyathum benedicit: Dominus det vobis tot salutes, quot sunt Alleluia inter Pascha & Pentecosten. Postea ubi paululum vino exæstuat, spiritusque è stomacho quasi densæ nubes per os evaporant, in hunc vel hunc modum suam ostentat loquacitatem: Quoniam quando quandoquidem delectabilissima societas, homines semper volunt scire aliquas novitates, ergo ideo igitur dicatis tamen nobis aliquid, si vos aliquid scitis novi: Ego libenter vellem aliquas dicere, sed ego credo quod vos bene scitis. Sed tamen oportet me dicere super quo ego valde irascor, quod sæpe jam tam parva cochlearia ora, quando possunt modicum latinizare, mox volunt magister fieri, & sunt ita superbi, quando vadunt per plateas, sunt ita insullati ut buffones, & aspiciunt se de utroque latere, & faciunt sæpe magnas guerras & disturbia, & tamen nesciunt aliquid fundamentaliter. Ego ponerem caput meum, vel vellem habere tot pediculos, quot Carnifices post Pascha occidunt vitulos: Si isti possent declinare Musa. In bona veritate si ego haberem super illos potestatem, ego vellem eos super scamnum ponere, & cum virgis vapulare, (ego vero nates tuas, cum sis me ætate provectior, lato assere pro merito diverberarem.) In conscientia, ego credo, quod si vos adhuc multum vivatis, quod vos videbitis multa nova. Modo antequam unus puer potest emungere suum nasum, vult magis scire quàm nos. Hei quàm malus est tamen jam mundus. Per meam fidem facit mihi valde vix, quando ego audio de illis loqui, quod debent esse tam docti: & scio quod omnia melius irent quam nunc faciunt, si homines illos non ita laudarent. Faciunt etiam novos libros de modo latinizandi, tam grossè, quod ego qui tamen sum vetus, & multa studui, non.

non possum intelligere, & etiam nos non indigenus eorum latinitate, quia ponunt tam grossa & non intelligibilia verba, omnia vetera tamen sunt bona, & hortor etiam omnes ut apud vetera maneatis, & istos novos truffarores non sequatis. Ego ero Cadaver, ego vellem duas ohmas vini ad optimum dare, si domini eos venarent extra civitatem, nam faciunt multas guerras. Sed audite tamen, quomodo ego eos carminicè tam pudibunde ex faciam, nam ego in meis juvenibus diebus tam bonus Poëta fui, quod nemo super me erat. Ascultate ergo, Hem:

*A nobis procul cedit
Nec rursus ad nos redite,
Nam si rursus venibitis
Non multum tunc gaudebitis,
Nos volumus vos cedere
Ut debeatis pedere
In caligas, ha ha ha he,
Ut dicatur, vae, vae, vae, vae.
Valebit unum thalerum
Pro quo nos ememus merum,
Si vos ita ex tempore
Loquutus bene. In ore
Ac si pultem haberetis
Tam valde loquere timetis
Psuy pudeat cunniculi
Vos linctores nasutuli.*

*Nos sumus imperterriti
Et loquimus impavidi
Nos vocem sicut asini
Habemus, Vos ut pulluli
Pipitis, pipi pi pi
Sed nos loquela pergrandi.
Nam qui potest, illi venit,
Sicut quidam Sartor dixit.
Et hæc volebam dicere.
Sed quando vultis bibere,
Nam valde bibiturio
In hoc meo gurgulio.
Hoc ergo tibi valeat,
Ut nihil intra maneat
Vel si vis habere aliter
Propino tibi taliter.*

*Heus, hem hoc totum propino tibi poculum
Semper eris mecum, si mihi facis equum.
Infundabo tibi diligenter, ebibe totum
Hem recte fecisti, sit tibi bene potum.*

L I.

Hiscæ & consimilibus loquendi formulis utuntur, quibus etiam mirè sibi placent. Verum enim vero agrestes vetulæ idiotæque rustici si quid olim de latinitate degustassent, comptius multo loquerentur & purius quam isti palliotenus docti. Et satius atque è re ipsorum foret, si omnino tacerent, tum enim multi opinionem alicujus eruditionis de ipsis concepissent, veruntamen quia ex cantu cognoscitur avis, ipsi etiam ex suo dignoscuntur, dum non Philomelæ cantum, Sed rugitum aselli repræsen-

tant. Totque effatiunt importunas loquacitates, ut ipsi etiam Heraclito risum excitarent.

LII.

Cura autem hi alios plus contemnunt quam verè eruditi. Ignorantia facit tumidum. Tumidus est superbus. Omnis superbus est stultus, dicitur enim, Omnis stultus est *stoltz*, & reciprocè, Omnis *stoltz* est stultus. Ergo tales præ ignorantia, præ superbia, præ stultitia, in quem satis debacchari debeant, non inveniunt. Omnis autem verè doctus est humilis. Omnis autem humilis cum moderato utatur & tempestivo iudicio, antequam aliquem naso suspendat adunco, prius cum eo converfatur, confert, differt, & ex propositionibus & responsis sumit iudicium.

LIII.

Sequitur nunc depromotis. Hi pro consuetudine Academicâ & magis frequentiori, aut sunt Baccalaurei, aut Magistri, aut Doctores. Quanquam etiam ipsi Magistri Philosophiæ in quibusdam Academiis Doctoris nomine publicè proclamantur præsertim Tubingæ, & aliis in locis ubi nostra dignitas nondum militavit, his aut similibus verbis: *Renunciamus & proclamamus vos omnes & singulos in DOCTORES Philosophiæ, conferentes vobis hac proclamatione publicam licentiam, Philosophiam publicè profutendi. &c.* Nec immerito, est enim hic summus in philosophia gradus. Huius ergo summitatis ratione summus etiam titulus, in summo gradu promotis competit. Quod enim valet in uno, (ut in Theologia, Iurisprudentia, Medicina) valet etiam in altero, nempe in Philosophia, cum sit eadem & dispar ratio. Imo ipsa Philosophia omnibus aliis in facultatibus commodo est; Nec ulla absq; hac perfectâ satis esse potest, Ipsa verò per se absque aliis in sua perfectione semper floret.

LIX.

Baccalaurei primum & infimum artis posuerunt fundamentum, ideoque etiam infimum tenent gradum vulgo *Backfisch, Larissen, Plateisen, Speckenerbes, Stautzenfresser*. Horum nomen vix ullibi præterquam in universitatibus notum est, adeoque minus contemnitur ab ignaris. Proindeque illorum nominum qui gradum hunc assecuti sunt, non præponitur B. sicut Magistro M. cum multa sint quæ per literam B. Lectorem possint fallere, ut suspicetur B. denotare Beanus, Bengel Böffel &c.

Magister

LV.

Magister est, qui supremam in Philosophia laurum obtinuit, id est, tantum in artibus fecit progressum, ut quæ adhuc ignorat (quis enim undiquaque perfectus?) per se posset intelligere, maximam verò cyclopædiæ partem ipse calleat, aliisque explicare sciat. Hoc qui præstat, vere verus est Magister. Horum coronatio respondet Romanorum Triumpho, quemadmodum Baccalaureatus Ovationi.

LVI.

Sed audio mihi obiicientem, Prætozem & Magistrum cito creatum: Pecunia gratiaque plures quàm arte & virtute fieri Magistros.

LVII.

Quis verò calumniatoribus resistat? Horum enim & stultorum plena sunt omnia; neque Iupiter sive nubilus siue serenus omnibus placet. *Vnd man mußte viel dreck haben, wann man solchen die Meuler alle stopffen wolte.*

LVIII.

Magister citò fit, inquit. At ego, Ergo etiam aito perit. Vnde vero talis corruptio? Fit hæc inquam ab exteriore prædominante & naturæ contrario: Vt & corruptio nativi caloris aut *gêneri* aut *phêneri* inducitur.

LIX.

Hæ actiones utpote externæ, internis fortius agant necessum est, Cui hoc externum competit? Literatis ais.

LX.

Ecquid audio. Vtinam vere essent literati. Sed literæ plerisque desidiæ & summæ Asininitatis operculum sunt. Nam de Philosophia, cuius Magistri nostri Magistri sunt, ne gry quidem interrogati respondent. Ita in dicendo sunt periti, ut nihil sit absurdius ipsorum inani verbositate. Ita Dialecticam callent, ut prius & tutius lupum auribus tenere quam apte disserere possent. Ita in Astronomia versati, ut Lunam à Sole minimè discernant. In Geometria ita periti, ut neque domum ullam neque prædium ullum metiri queant. Ita omnium rerum naturam norunt, ut suam omnino obliviscantur; & ut dicam quod res est, ita docti ut nemo omnino indoctior.

Beanos

in exclamatione studiose lecta

in af mltum uoacit

LXI.

Beanos Mopfosque illos, qui antequam profectum Magistri alicujus tenent, in illum immunda crepant, ignominiosaq; dicta, ut ait Horatius, judico.

LXII.

Dianæ meæ duplex est tertium. Quemadmodum Arcopagitis Minoi, Æaco, aliisque æquis iudicibus grande nefas & morte piandum esset, si re incognita reum condemnarent. Sic etiam asininum præcipitium in temerario ejusmodi iudicio delitescit.

LXIII.

Alterum: Dicant obsecro, unde hanc argumentandi rationem mutantur: Magistri quidam inepti sunt, Magistri quidam inaurati & auriti sunt, id est: *Man nimbt Geld und macht es von einem Magister.* Ergo hic iste ille. *La machts bey euch ihr lieben Herren so kôndt ihr es gelangen.* Neque habent ex Aristotele, neque ex Philippo, neque ex Ramo, quorum aliquem vix vidisse multis contingit.

LXIV.

Corvi vos ô Iudices exedant, quod contra naturam, sensum, experientiam, ullamque exemplorum inductionem ita argutemini. Quis enim (malum!) à particulari ad particulare concludere vos docuit.

LXV.

Sed accidit loquaculis bombylisque hisce vespis, quod puerulis sæpe ratiocinantibus insciè tamen.

LXVI.

Vsque adeò autem ad conviciandum sunt proclives, ut vitium hoc in ipsorum naturam videatur transisse, quorum tamen sermo afelli cujusdam crepitum potius refert, digniq; quorum temporibus cornea laurea imprimatur: unde Cornuti, hirci foetuli, foetidi, cornigeri, quippe qui in crasso aëre nati, nihil nisi cornu petere vel potius pedere didicerunt. Minime digni qui vel hedera coronentur.

LXVII.

Sed manent tamen ipsos doctrinæ suæ præbæ & insignia, id quod sequenti exemplo manifestum faciam.

LXVIII.

Evenit aliquando ut huiusmodi momus in publico deambulet, ac capite, manibus pedibus, totoque adeò corpore philosopharetur: ex composito an ex improvviso, nescio, humani stercore urinæq; plenum vas in
Eliconium

15
Eliconium ac musis sacrum caput effunderetur. Ipsum autem vas galeæ loco reliquit. O lauream meritam conspicuamque, dignam certè, quæ omnium hujusmodi momorum caput ac coimas ornaret. O spectaculum egregium virtutisque testimonium ingens. O spectanda eloquentiæ præmia, quæ Oratorum istorum os faciemque tam egregiis unguentis ornarent vel honestarent. O simbras aureas quæ adeo exornarent cultoris Musarum vestes. Hæc sunt doctrinæ præmia, hi tituli posteris demandadi. Hic sic nomen eorū inter stercora & foetorem delitescens fit notum, in publicum omnibusque innotescit. Si hoc mel illud fuit quod apes Socrati, Platoni adhuc infantulo dormienti ori indiderunt, quodque tantopere ab omnibus deprædicatur, ego numquam, quantivis ab omnibus prædicetur, gustaverim.

L X I X.

Qui igitur nihilo estis doctiores, non debetis aliorum famam corrudere. Corruptio enim est à fortiori. Sed nec estis fortiores nec pares. Vellicat vos ideo Horat.

Sumite materiam vestri, qui carpitis, aquam viribus.

L X X.

Sed quo abeo? ad propositum revertor. Studiosi Magistri materia circa quam, vel ut Ramus loquitur, subjectum occupans est, Cyclopædia; quæ aut est organica, & in se complectitur Grammaticam, Rhetoricam, & Logicam. Aut inorganica, quæ agit de rebus.

L X X I.

Res aut sunt Entium primorum; & hæc docet Metaphysica, vocatur etiam Theologia Philosophica, quia habet doctrinam de SPIRITIBVS, aut sunt Entium, ut attribuuntur homini ad finem.

L X X I I.

Finis alius est supremus, agitque de summo Bono, ut Ethica, Oeconomica, Politica Alius verò inferior: Hic versatur in cognitione Naturæ; quæ duplex est: Aut enim est conventa, de qua PHYSICA. Aut obstrueta, & dicitur MATHESIS. Hujus sunt, Arithmetica, Geometria, Astronomia.

L X X I I I.

Omnes has artes scire Magistrum oportet. Sunt tamen qui in Geometria & Astronomiæ studio non usque adeo sudant, cum nullum habeant usum, nisi earum scientia sit unde quaque perfecta, quam tamen in longam senectam vix assequi cuiquam licet.

C

Ergò,

LXXIV.

Ergo, obiciis, non sunt ex numero καλῶν ἄνδρῶν. Audi verò dicam in aurem. Non carent ea suo fine qui semper bonus est. Quoniam vero multum temporis sibi vendicant, & nisi quis ex professo eas in scholis profiteatur, utilitatem parvam afferunt, vulgo negliguntur.

LXXV.

Porrò & subiecto etiam distinguuntur Magistri. Quidam enim sunt Argentoratenses, quidam VVittenbergenses, quidam Marpurgenses, quidam Tubingenses, quidam Heidelbergenses, quidam Helmstadienses, quidam Moguntienses, quidam Herbipolenses, quidam Ingolstadienses, quidam Ienenses, & si qui sunt alii. Quilibet horum suos habent irrisores suosque laudatores.

LXXVI.

Dicunt enim: Argentoratenses, hi soli sunt boni Magistri. Sed ego puto, multos non fuisse illic, ut scirent quid respondissent; aut bonum Magistrum judicare ex barba: Sic: Ille habet bonam magnam barbam, & est Magister. Ergo est etiam bonus magnus barbatus Magister.

LXXVII.

Quidam VVittebergenses laudant: Sed plurimi vituperant: Sunt enim nimis bibuli, & cretæ EXTRA nimis sunt studiosi, & cuculant dum bibunt putridum Guck gauch. Et ne quid ipsos remoretur, dignitas nempe gradus, epulaturi pallium ne sit remotæ, anaivent his aut similibus verbis: Hoc ego claviculo rigidum suspendo Magistrum.

LXXVIII.

Quidam sed pauci Marpurgenses vituperant: sed certè nesciunt quid dicant, siquidem multos audiivi dicentes, Diabolus promoveat apud Marpurgenses, nimis rigidum enim habent examen.

LXXIX.

Apud Tubingenses quadraginta in momento horæ creantur, & quidem singulis annis bis.

LXXX.

Sed nimium foret de singulis Vniversitatibus aliquid recensere, iudicium de iis potest fieri ex natura studiosorum & ex adiectis locis, nec dubium quin quælibet sua habeant phitia.

LXXXI.

Net.

17
Nec diffiteor quin ubique & docti & indocti creentur. Dignus enim
& indignus similiter ablativos adsciscunt; multisque ex gratia potius & lar-
gitionibus quam ex meritis gradus iste confertur, Memini enim ipse quod
alicubi fierent *Stro Magister, Havy Magister, Fisch Magister, Hasen Magister,*
Butter Magister, Flachs Magister, propterea quod talia aliquibus, (bona venia,)
devoverant. Sed ii inis subfelliis plerunque gaudent. *Dann die Stang*
ist vnten zimlich schvver, so muß man ihrer auch dran haben, die sie halten
können. Nec ita pridem novus quidam fuit qui vitium potius per ph.
quam philosophiam (quam ille perf.) scribebat. Eratautem vir bonus, ni-
hil enim ipsi rei erat cum magis, quorum numerum ignorabat, quod nun-
quam audivisset, deditus enim erat cochleationibus, siquidem propter vir-
ginem suam Magistravit, & quia suus mater voluit habere, ut aiunt. Verista-
men Magistris qui gradum suum coram quovis tueri & propugnare non re-
formidant, nihil hisce derogamus

LXXXII.

Vnde nonnulli calumniatores, contemptores, subsanatores, Magistros di-
stribuant in Magistros & Magistellos. Sed rursus Asinus Leonina, Quæ enim
secundum plus & minus differunt non differunt specificè.

LXXXIII.

Magistri & Magistelli differunt secundum plus & minus. Magistri
enim doctiores, Magistelli indoctiores habentur. Ergo non est realis di-
stinctio.

LXXXIV.

Cum verò nihil sine causa fiat; & felix qui potuit rerum cognoscere
causas ab Ovidio habeatur; quæ nam Magistellorum causa sit, dispi-
ciamus. Magistri enim boni & veri, quomodo & quales nascantur, vi-
dimus.

LXXXV.

Ea nonnunquam est in ipsis studiosis, & plana est ex hypothesi supra posi-
ta, quatuor nimirum temperamentis, quando sua sponte vel nolunt vel non
possunt. Nonnunquam est in parentibus aliisq.

LXXXVI.

C 2

Dum

Dum enim parentes citò volunt habere magnos Dominos Studiosos, ornatissimos, doctissimosque Dominos Magistros, & tamen multum pecuniæ expendere nolunt, ablegant filios suos mensem unum atque alterum, iisque optant si possibile esset, ut in fumo citò citò citissime coquerentur, quod cum etiam titillat filios, & gestiunt, ut quivis se præsentibus aperiat caput, citò supercurrunt primum in Dialecticis caput. disputant in aliquo Collegio de verbo *διαλεγεσθαι*, & de verbo *λογω χησθαι*, & quando Examen aliquod & aliquid dicendum & disputandum instat, celeriter currunt ad libros & suum thema student. Veruntamen plerumque etiam Leimstangium reportant.

LXXXVII.

Atque hi quidem longè maiorem eruditionis opinionem de seipsis concipiunt, quàm quivis dignissimus, novamque hac creatione sibi infundiscentiæ gratiam putant. Per plateas aut loca publica quando incedunt, gravitatem omni in re servare studiosè intendunt. Erecto capite, dimissis superciliis, utraque manu pallii alas distendunt, magisterii insignia in digitis, gemmam auro inclusam, quavis ratione ostendunt, ventre suo (quem vocant Hispanico) porrecto, fimbriis pallii tolos concutientibus. Ipsi obviantes non recta linea, sed obliqua per transversum (*vrie en Gansnach em Griebel*) aspiciunt, summa qua laborant *φιλανθία* observantes, num obviantes caput aperire velint, quod ubi non fit valde indignantur, Magistralitati suæ tam exiguum exhiberi honorem.

LXXXVIII.

Sed quid denique parentes ipsorum habent, & quales sunt in momento cocti isti Magistri? Mancipium, Fabula vulgi. Teutonicè, *ledermans spot*. Sic percontenti quidam, quanti vellet docere filium: Mille drachmis respondit Aristippus. Ille verè, hem ego mancipium hac pecunia emerem, Aristippus rursus. Ergo, inquit, duo habebis mancipia, & filium & quem emeris.

LXXXIX.

Verum enim vero non sine causa similiter hic disputari potest, an qui recensens Magister factus est, debeat consuetis moribus uti.

XC:

Certe si famam vulgi spectes, iisdem moribus utendum est, ne in te dicant, Gurrus, Murrus, & obliti nominis Magistri, potius dicant, te superbum asinum factum esse.

XCI.

Sed

Sed cum vulgo placere, doctis sit displicere, neque in fronte juvenis scriptum stat signum magistri, ideo sublimiores spiritus sunt sumendi.

X C I I.

Sed hic vide illud *Æsopicum*, *zwischen thür vnd Angel klempt man sich gern*. Hic medius stat bonus Magister inter rusticos & doctos: quorum & hi dicunt, magistrum nuper factum assumptis aliis moribus superbum asinum factum, & rursus si idem antiquum obtineat, continuo Facium proclamant, non agere præclarum Magistrum.

X C I I I.

Vtut hic fecerit Magister, in reprehensione semper est. Sed propius accedamus: Magister potentiâ fuit cochleationis amans, libenter saltarit Calliardos, Passamezo, Anglios Doy, *Hansen Curanten*, & alias, quæritur an jam Magister actu, idem facere debeat?

X C I V.

Hic scabo unguem, dico tamen quod possit, perpensis tamen circumstantiis. Sed hoc pomum Eridis obiticio doctioribus.

X C V.

Sequitur nunc de Doctoribus. Hi dicuntur à docendo, vel ut nonnulli volunt in nonnullis probatum, quod Doctor sit quasi Decoctor, scilicet bonorum; Aut suorum, ut ille qui in Italia volebat promoveri, nondum sciens quod Itali essent nequam, sumerent pecuniam & mitterent asinos in patriam: Et tales gravitati nimium studendo, quicquid habent, sumptuose insumunt. Et si non ipsi in sumendis pecuniis sibi videntur sufficere, asciscunt sibi socios quos vocant *Helsser vnd Helssershelsser*, qui Doctoribus huiusmodi officiose famulentur, usque dum turget crumena: de quibus non ineptè dixit ille:

Doctorum famuli sunt omni tempore tales

Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant.

Aut aliorum, puta litigantium. Huc pertinet illud Nobilis cuiusdâ in Marchia dicentis: Qui sunt isti nebulones Bartholus & Baldus, qui mea mihi auferunt bona, ceciderat enim causa non parva.

X C V I.

Sunt etiam qui vocantur Doctores Bullati. Hi aut propter difficultatem itineris seu fortassis ignorantiam Iuris, aut impensas sumptuum tolerabiliore, aut quibusvis aliis de causis, malunt imbullari, quam publice proclamari.

X C V I I.

C ;

Proinde

Proinde multi ideo docti æstimantur, quod à Collegio aliquo pro doctis, aut gratia, aut præmio, aut maiorum intercessione habentur, quibus nescio stultitiæ insignibus comprobati. Atque hi quidem communi nomine cum veris Doctoribus gaudent, qui tamen sæpe pro hominibus essent improbandi.

XCVIII.

Sicut olim cocus ille, cum longo tempore Domino suo fidelem operam præstitisset, dignitasque publica interea vacaret, ad quam tamen nemo, nisi Doctor promoveri poterat; Dominum accessit, fidelisque sui ipsius navate opere ipsum comitacione faciens, petivit, ut sibi Doctoratus insignia conferret, atque ad dignitatem illam quæ tum vacabat, promoveret. Dominus Coci sui fidelis petitionem æquam judicans, tametsi persona non erat qualificata, facillè tamen petitioni ipsius dedit locum, atque in momento ex Cocco fecit Doctorem, nempe sic: *Asine sis Doctor.* Atque sic Doctor Cocus (vel si invertas, *Succo, Sauyrköch*) dignitatem obtinuit.

XCIX.

Sunt & Doctores syncopati, demptis nimirum &, sed horum plena sunt omnia, & horum quilibet sui ipsius est Promotor vulgo vocantur *Kuriz-vveilige Ræthe.* Jac proinde certus modus creandi illos non potest definiri. Vnde ille facere admodum de filio suo, *vvelcher nir fast vvol im Hirn vervvaret vvar*, dixit: *Es mangelt meinem Sohn nur noch zween Buchstaben* (nempe &) *vwann er dieselben hert, so vver er ein Doctor.*

C.

Verus autem Doctor est, qui summam in facultate aliqua habet intelligentiam. Hi quoniam extra Nasutulorum trivium digressi sunt, ab iis minus judicantur.

CI.

Facultates tres sunt: Theologia, Iurisprudentia, Medicina.

CII.

Theologiam inter omnes doctrinarum facultates principatum tenere, extra controversiam est, quippe quæ in rerum divinarum atque animæ salutem concernentium contemplatione consistit, semperque fidei propugnaculum est & fuit.

CIII.

Habent tamen & eius Professores suos naevos. Vt plurimum enim *profia* punguntur. Altiores quæstiones & curiosas inquisitiones de Deo,

Deo, & de Sacramentis Ecclesiasticis sæpenumero, ostentandi ingenii gratia, movent, quibus tamen magnas dehinc dant turbas.

CIV.

Quamvis autem scholastica & quæ in gymnasiis trutinantur, disceptationes non omnino sunt improbandæ (ne malè mihi precentur, qui in iis summam rei collocant) probatus tamen theologus in illis proram & puppim non constituet,

CV.

Vnde maximopere improbandum supercilium eorum, qui nihil nescire volunt: & quicquid ab eis fueris sciscitantis, in promptu habent quod garriant, nescientes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

CVI.

Maximè etiam improbandi blæsterones illi, qui ex Pœtarum fabulis mysteria fidei Christianæ eruere conantur, sicut ille qui, totam Ovidii Metamorphosin spiritualiter interpretatus est, sed quàm lepide ac sanè, quilibet facillè potest conicere.

CVII.

Qui ergo verus Theologus dici cupit, id agat cum primis, ut nomini vita respondeat, atque hoc modò mores & gesta informet discendum; neque etiam semper versabitur in speculatione & mysteriis anagogicis tantum, sed vitia & peccata hominum summo fervore redarguet, quippe cui cura animarum salusq; hominum est commissa.

CVIII.

Porro quod ad Iurisprudentiam & Medicinam attinet, illarum studiosi sæpius de præeminentia acriter conflictati sunt. Iurisprudentia tamen hucusque præeeminuit, nec quicquam resistentibus Medicis, cavillosque omnis generis in Iurisprudentiæ studiosos jacentibus, quorum summam quosdam recensebo, & quomodo vicissim Iurisprudentes Medicinæ studiosos vellicent, curtatim annectam. Digladientur invicem usque dum defatigentur, nos interim erimus spectatores.

CIX.

Ego sanè si Medicus essem, non auderem in Iurisconsultos duram aliquem sermonem proferre, vererem enim ne hoc hominum genus contentiosum litem aliquam mihi intentaret. Verum faciant id suo periculo Medici.

Primum

CX. Primum cum varii sint Iurisconsultorum ordines, ita quod alii sunt Syndici, alii Advocati, alii Procuratores, alii Notarii, Protonotarii que, qui Notarios creant, & si qui sunt similes; Medici duo faciunt Procuratorum genera; quosdam enim veros esse dicunt, quosdam verò quasi adulterinos, quos per contemptum vocant, *hâltzerne* Procuratores. Dicunt etiam esse quosdam quos vocant *Bauren* Procuratores, *iuden* Procuratores. An autem hi ad veros an ad adulterinos referantur, quid ad me? Ego non sum eorum Procurator qui ipsorum causam velim agere. Ipsi agant. Sed ne *Zivil* quid *zer-reist* minus *den Sack*, vel quasi.

CXI. Hoc tamen diffiteri nemo potest, (ajunt,) quin paucissimi jam sint qui eam facultatem, Iuridicam nempe, Sincero animo aggrediantur. Et nisi lucri quippiam subolerent, non adeò globatim se ei studio applicarent. Nulla enim disciplina est quæ faciat nummatiore; & ut eorum verbis utar, est de pane lucrando.

CXII. Omnibusque ferè videtur innatum, ut causas, quæ alioqui facili negotio terminari possent, ut sunt controversiæ de agrorum limitibus tuendis, arcendâ aqua pluvia, tectorum stillicidiis & his similibus, in multos annos trahant, cum summa clientum jactura.

CXIII. Quid loquar de illis, in quibus nihil præter susceptæ artis incertitiam stultitiamque redundat, qui aliquando nesciunt latine loqui, quique ubi legum sit diverforium, ignorant. Ut sunt rudes illi Rabulæ quæ Paulum de Castrensem in L. Stichum, §. asinum, ff. de ventre in possess. mitten. in posteriori lectu. Sibi mirè placentes, & tanquam optimè in Iure versati, ruditer allegant. Et si quod verbum inter indoctos quod undique redundat proferunt, ne rideantur, id ex lege esse aiunt. Hinc Cynum, hinc Bartolum, hinc Baldum, aliosque plures tanquam Phœbi interpretes in aciem adducunt, sesquipedalibusque verborum ampullis copiosè citant, quorum commenta vel nunquam viderunt, de quibus etiam plerumque potius lallant quam disserunt. Bisdenos sæpè Canones in suam sententiam trahunt quorum vix duo sibi rite cohærent. Ac proinde studium hoc, quod alioqui summe prædicandum, in meras nugas *nei rois pûdors*, quos vulgus fabulas forenses vocat, vertunt. Atque ita de industria artem suam difficillimam reddunt, ne dicam suspectam; tantum eo fine, ut & uberior sit *quæstus* & gloria